

*J. Medina*

*GS/5B*

*Textus correctus  
22-9-63*

## ADUMBRATIO SCHEMATIS XVII

### DE ACTIVA PRAESENTIA ECCLESIAE IN MUNDO AEDIFICANDO

1. / Prooemium. / Misterio intimo Ecclesiae fidelibus secundum verbum Dei proposito atque declarato, Sacrosancta Synodus a munere suo minime alienum iudicat, christianos omnes, at simul etiam universos bonae voluntatis homines sub luce Christi Domini illuminare, ut recte quoque perspiciant realitatem terrestrem huius mundi, ex quo Dominus populum suum ad Regnum Dei congregat, et in quem ad testimonium Evangelii disseminandum discipulos suos mittit, ut idem mundus exinde renovetur atque transfiguretur (1). Ideo Ecclesia fideles arcessit, ut caritate Christi compulsi, ad omnia in Eo instauranda adlaborent, sicque universae familiae humanae, etiam ad meliorem societatis conditionem exaedificandam, magno animo ministrent.

#### I. DE ECCLESIAE PROPRIA MISSIONE

(A : De evangelizatione mundi)

2. / De munere Evangelium proclamandi. / Ad ipsum scilicet mundum Ecclesia mittitur, ut eum in nomine Christi obsecrans, Deo reconciliet (cf. 2 Cor. 5, 20) (2), et per fidem ad salutem perducatur, sicque in Abrahae filiorum dignitatem totius mundi transeat plenitudo (3). Dominus enim, verbis ad modum testamenti solemnibus, apostolis imperavit : "Praedicate Evangelium omni creaturae" (Mc. 16, 15); "Docete omnes gentes, baptizantes eos... (Mt. 28, 18; cf. 24, 14); "Et eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae" (Act. 1, 8), ut Deus, fidelium Pater, in toto orbe terrarum promissionis suae filios, diffusa adoptionis gratia, multiplicaret (4).

3. / De libertate fidei. / Expostulat autem praedicatio Apostolorum liberum responsum hominis, qui ad Patrem coelestem agnoscendum et super omnia diligendum sub gratia Christi evocatur. Quod sine voluntaria adoratione et adhaesione nemo praestare valet. Nam "credere non potest nisi volens", ut dicit S. Augustinus (5), et dignum ac rationabile, non humana vi extortum, oportet esse obsequium, quod Deo summo et summe amanti exhibetur. Quapropter omnes laborantes et onerati a Jesu, miti et humili corde, benignissime invitantur (cf. Mt. 11, 28-30). Illi quidem qui



regnum Eius expandere desiderant, lumen veritatis diffundant sicut Ipse fecit, praedicando, exemplum vitae praebendo, benefaciendo (cf. Lc. 24, 19; Act. 10, 38), quoscumque amice, prudenter et patienter ad Evangelium perducendo, ut audientes ex corde ad Deum convertantur, a nemine coacti  
5 et a nemine prohibiti.

4. / De pauperum evangelizatione. / Ecclesia quae ad omnes indiscriminatim homines amore afficitur, peramanter pauperibus evangelizat, exemplum sequens Domini sui, qui propter nos egenus factus est (Lc. 4, 8; 2 Cor. 8, 9), ut non in principatu neque in divitiis huius saeculi, sed in  
10 ostensione spiritus et virtutis Dei innitatur fides eorum (cf. 1 Cor. 2, 4 ss.). Ipsos autem minimos fratres ut thesaurum suum pretiosissimum et pauperis Domini vivam figuram agnoscit et veneratur. Omnium autem inopiam spiritualem ac temporalem, individualem ac socialem sublevare ad officium suae caritatis pertinere confitetur.

5. / De homine ut imagine Christi. / Ad omne genus hominum, quos Deus fecit ex uno habitare super universam faciem terrae (Act. 17, 26), dicitur  
15 rigitur Ecclesiae nuntium evangelicum, ut in eis restauretur imago et similitudo, secundum quam in initio creati fuere (cf. Gen. 1, 26-27). Imago Dei iam in natura humana resplendet in quantum omnis homo est persona  
20 na intellectu, libera voluntate et conscientia morali praedita, indeque omnia materialia et sensibilia transcendens (6); quae sine fine coram Deo subsistit et capax fit ut nominatim ab Eo ametur et vocetur (7).  
Iam propter hanc solam dignitatem nulla persona impediri potest quominus officia ex divina vocatione orta, erga Deum, erga fratres et erga  
25 mundum adimplere valeat. Quae quidem imago, peccato obscurata et deformata, mirabiliter reformata est a Christo, "qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae" (Col. 1, 15). In Ipso enim condita sunt universa in coelis et in terra, et omnia in Ipso constant (cf. ib. v. 16-17).  
Spes autem alia, aut finis supremus societatis humanae alius non est  
30 nisi Christus, in quo Deo complacuit reconciliare omnia, pacificans per sanguinem crucis Eius universa (ib. v. 20), immo totam creaturam liberans a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (cf. Rom. 8, 21).

6. / De praesentia Ecclesiae in mundo per suam constitutionem. / Iam  
35 autem Ecclesia, coelestis Hierusalem, activo et benefico modo in mundo



praesens est, eo ipso quod in eo posita ei que data est tanquam arcanum  
pleroma Christi, cuius gratia alitur et sustentatur et ad plenitudinem  
Dei manifestam progreditur; necnon per officium suum sacerdotale, lau-  
dem universae creationis Deo deferendi in gratiarum actione, in praeco-  
5 ni proclamatione et sacramentorum distributione, in spiritualium con-  
templatione et universali caritatis servitio. Quae omnia velut recapitu-  
lantur in Divina Liturgia, signo et pignore nostrae conversationis in  
coelis, unde expectamus Dominum Nostrum Jesum Christum, "qui reforma-  
bit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae,  
10 secundum operationem qua etiam possit subiicere sibi omnia" (Phil. 3, 20-21).

(B : De Ecclesiae influxu in ipsum ordinem mundanum)

7. / Ecclesia ad bonum mundi confert. / Praedicatio Evangelii Chris-  
ti non potest quin proficuum influxum exercent super totum ordinem mun-  
danum, tum per doctrinam a Magisterio ecclesiastico propositam, tum per  
15 actionem fidelium qui, in mundo positi, ad eius aedificationem valide  
contribuunt (8). Fide enim et caritate impelluntur, ut integrum consi-  
lium voluntatis Dei super mundum in actum deducant. Civitas scilicet  
christianorum, quae de coelis est (cf. Phil. 3, 20; Col. 3, 2), super terram  
tamen aedificatur, civesque regni Dei etiam cives sunt humanae societa-  
20 tis. Quae duae societates, coelestis nempe et humana, sibi invicem ob-  
viam veniunt et sese mutuo interrogant, attamen inter se adversari non  
debent, quia ambae suo modo a Christo proveniunt ad Eumque tendunt. Qua-  
propter christiani pro viribus suis promotioni societatis humanae im-  
pigro et vario conatu collaborare tenentur.

25 8. / De fructibus huius laboris. / Huiusmodi cooperatio tum ipsis  
tum toti humanae communitati uberes fructus affert, siquidem ex ea ori-  
tur profundior creationis et historiae mundi intellectio, quae de se ad  
pleniorum Dei cognitionem conducit. "Invisibilia enim Ipsius a creatura  
mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur" (Rom. 1, 20). Ut  
30 lux discipulorum Christi coram hominibus luceat (cf. Mt. 5, 13-16), illi  
quaecumque sunt vera, pudica, iusta, sancta, amabilia cogitare atque  
agere debent, ut per virtutem ac bonam famam eorum (cf. Phil. 4, 8-9) so-  
cietas humana ad propriam existentiam accuratius perspiciendam et tota-  
tam vitam moralem rectius componendam, in vera unitate, libertate et  
35 concordia perducatur.



9. / De dignitate hominis agnoscenda. / Nuntio suo evangelico et activitate suorum fidelium Ecclesia enixe inculcat mirabilem dignitatem et vocationem personae humanae, tum in sua integra constitutione, tum in diversis suae activitatibus ordinibus consideratae, in ordine nempe  
5 individuali, familiari, sociali, internationali, culturali. Ecclesia, quin ullo modo gloriatur sese intricatis societatis humanae problematibus adaequatam solutionem praebere posse, cunctis tamen qui ad commune opus explendum vires impendunt, lumen et animum addit, ne in medias res mundanas immergantur, eosque altiora principia de eorum existentia  
10 et vocatione docet, et sese omnibus debitricem sentit, ut eos cum fundamentali humilitate, prudentia et caritate ad magis dignam magisque propitiam conditionem, etiam in hoc peregrinationis itinere, promovendo adjuvet.

10. / Bona creata grato animo accipienda. / Ecclesia, quae nulli nisi soli peccato et daemonio hostilis est, sibi dominium mundi a Deo creati non vindicat, sed opus Creatoris per gratiam haud destrui, sed sanctificari et perfici profitetur. Neque de solis individuis curam gerit, sed etiam de eorum societate; neque ita exclusive de hominum salute aeterna sollicita est, ut de eorum sorte in terris curanda et sublevanda  
20 non cogitet. Iam Synodus Vaticana prima dilucide docuit: "Tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit" (9). Unde eadem Synodus "inexhaustam Ecclesiae in omnibus bonis foecunditatem" (10) inter eius signa  
25 credibilitatis iure connumeravit.

11. / Testimonium Scripturae. / Ut Scriptura solemniter docet, omnia in initio a Deo creata sunt bona (cf. Gen. 1, 31), homini vero concredita, ut ea sibi subiiciat et sub divina benedictione perficiat (cf. ib. V. 26 et 28), naturae secreta perscrutando, ingentesque eius vires in  
30 bonum humanitatis convertendo. Haec vera Dei beneficia non reicienda nec reprobanda, sed cum gratiarum actione sunt accipienda (cf. 1 Tim. 4, 1-4). Si enim per peccatum deiciuntur et inveterantur, per Christum eriguntur et renovantur, et per Eum omnia redeunt ad integrum, a quo sumpsere principium (11). Ideo cuncta terrena ita sunt ordinanda, ut  
35 natura sine violentia sibi restituatur, et licet a longe et imperfecte, aliqua tamen in ea regni Dei adumbratio detegatur.



II : DE MUNDO AEDIFICANDO

(A : De autonomia mundi)

12. / Principium distinctionis statuitur. / Mundus in quo homines temporaliter vivunt, propria viget consistentia et suis regitur legibus, 5 quas Ecclesia libenter et sincere agnoscit, non quidem tanquam suas, sed (tamen) a Deo, auctore naturae, statutas. Humanae disciplinae in suo quaque ambitu propriis principiis et methodo utuntur; quarum iustam libertatem, servatis iis quae de fide sunt, Ecclesia merito approbat (12). Homo autem non solum contemplatur, neque simpliciter patitur naturam, 10 qua circumdatur, protegatur, vel etiam minaciter terretur; sed eam active aggreditur immutandam et adaptandam et quasi creativo conamine perficiendam. In quo ordine excolendo vestigium advertitur increatae Sapientiae, in eo indelebiter impressum, licet plures illud non satis perspicuum habeant vel eius fulgorem peccato deturpent. Insunt in corde humano et in 15 ipsis rebus creatis quasi semina veritatis, unitatis ac iustitiae, a Deo indita, quibus homo impellitur, ut res inanimatas in servitium totius humanae familiae redigat, ad ignorantiam, miseriam et iniquitatem debellandam et pacem ac harmoniam in terris firmandam, unde tandem maiores Deo salutari laudes deferuntur.

20 13. / De labore hominum in mundo. / Homo labore suo manuali, scientifico, tecnico, vel etiam pure intellectuali et artistico, eo tendit ut mundus magis in mansionem sibi dignam exaedificet, materiam signaculo suo spirituali nobilitet et in operibus suis seipsum exprimat et perficiat, et cursum historiae in beneficium progressum dirigat. Labor 25 iam in originali iustitia ad officium hominis pertinet (cf. Gen. 2, 15), et si de se arduus, propter peccatum insuper aerumnosus est factus (cf. Gen. 3, 17-19), etiam ista poena in liberationem et elevationem humani generis, Redemptoris operante gratia, converti potest. In suo multiplici conatu homo socios invenit omnes concives suos. Singuli in mutua re- 30 verentia se invicem praevenire debent et communi nisi ordinem publicum et socialem semper magis aequum extrahere (13), alternam libertatem honorantes et iura impraescriptibilia personae humanae tuentes, ut veritas et iustitia ubique magis vigeant.

14. / De mutuo amore. / Huiusmodi promotio insuper ardorem mutuae 35 dilectionis enixe exigit, ut aequitas amore compleatur et sublimetur.



Singuli homines imprimis in intima ac fideli unione viri et feminae, coram Deo sigillata, novas vires accipiunt, et in sanctuario foventur familiari, in quo uxor et mater peculiare suas qualitates generosa devotione explet, ne integra societas humana in servitutem laboris  
5 deprimatur, sed nobilissimo affectu exaltetur.

(B : De unificatione mundi)

15. / De nova conscientia unitatis. / Sedulo advertant christiani humanum genus, numero quotidie crescens, ad vividioram conscientiam nativae suae capacitatis et communis vocationis pervenire. Ingens progressus scientiarum etiam technicarum et expeditior et celerior contactus inter dissitas quoque terrae partes eo contulerunt, ut cuncti in  
10 unica sorte se implicatos esse persentiant, et de obligatione sibi invicem opes et auxilia deferendi clarius erudiantur. Exinde bona materialia, intellectualia, ~~psychologica~~, culturalia, spiritualia latius dispergi incipiunt. Unde crescit in universo orbe sensus unitatis, in qua  
15 tamen legitimas singulorum ac coetuum diversitates intactas servare oportet.

## PATRIMONIO UC

16. / De huius phaenomeni diffusionem. / Omnes autem populi omnesque societatis coetus, etiam ii qui infimi et laboriosi dicuntur, ad  
20 altiore vitam conditionem aspirant et pedetentim ascendunt. Homines nostri temporis, arctius inter se uniti, hanc collectivam voluntatem terrestria bona aequiore modo disperendi explicitius in dies profitentur; quod fortius proclamant illi qui egentiore conditione exasperantur. Universitas enim opum mundi imprimis ad utilitatem omnium in  
25 hoc mundo destinatur et pertinet (14). Quae desideria ex imo corde humanitatis prorumpentia christianus homo neque ignorare neque despiciere potest, sed satagere debet, ut operose praesens in suo mundo, omnia illa integre in ethica et religiosa promotione adsumat, purificet et expoliat, secluso omni indifferentismo morali, et dempta tentatione  
30 totalis ac superbae independentiae mundi erga suum Conditorum.

17. / De phaenomeni significatione. / Ecclesia huic parturitioni quasi novae humanitatis non frigido neque hostili animo adsistit, sed crescentem unitatem historiae humanae ut consilio divino respondentem detegit, quippe quae, provido Deo, altiore unitatem in Corpore Christi praeparare potest. Ideo grato animo inopinatum occasionem accipit, non  
35



proprii domini extendendi, sed caritatis spatii dilatandi. Pericula et difficultates praedictae ascensionis neque sibi neque mundo abscondit. Magna enim hominibus restat via ad perfectiora, et undique minantur conflictus et ruinae, necnon ad tumorem ac superbiam seductiones.

5 Etenim primo et incauto intuitu Deus e mundo evanescere videtur, dum homo sibi attributa divina totaliter imperitiae et illimitatae potentiae arripere praesumit, vel elementa mundana quasi absoluta et suprema impio cultu circumdare non veretur. Quapropter omnium Mater et Magistra invigilare, commone et adiuvere homines non desinit, ut ab interitu

10 se eruant et prosperitatem in terris ita vere promoveant, ut felicitatem in coelis non amittant (15).

18. / De bonorum terrestrium ambiguitate. / Quia terrestres opes tam in aedificationem quam in destructionem adhiberi possunt, earum indolem ambiguum sedulo discernere et in rectum sensum vertere oportet,

15 sive de unificationis processu agatur, sive de dominio super creationem, sive de pretioso bono libertatis.

a) Crescente mundi unitate, expeditiore capacitate gaudemus in toto terrarum spatio paupertatem, famem, aegritudines, ignorantiam et servilem deiectionem impugnandi, et reciproca solitudine ad meliorem

20 iustitiam contendendi. Simul tamen in latissima multitudine sensum solitudinis ~~www~~ augeri, et oppositiones religiosas, politicas, sociales per impatientiam hominum exasperari videmus.

b) Natura non tanquam inexorabile fatum homini dominatur, sed homo naturae imperare debet, eam scientia et arte sua profunde transformando et inexhaustas eius vires sibi continuo magis subiiciendo. At eodem momento ipse periculo exponitur rursus sub captivitate elementorum mundi incidendi (cf. Gal. 4, 3 et 9), suamque remiam potestatem servituti erga materiam et proprias passiones immolandi; immo, angore arripitur, ne machina huius mundi ipso opere hominis dissolvatur. Neque ullus vi-

30 vens mortem unquam aufugere poterit.

c) Libertas est praestantissimum hominis bonum eique unice proprium; in qua dignitate Deus eum constituit, relinquens eum in manu consilii sui (cf. Eccli. 15, 14), ut habeat actionum suarum veram potestatem (16). Si hoc praeclarum beneficium terricolis in dies abundantius prostat,

35 et in solemnibus societatis proclamationibus iure celebratur, plures



tamen suam praerogativam in actum deducere non valent, et omnes eam peccato ad pravam usum detorquere possunt.

5 Dissensiones, anxietates et afflictiones ex ista multiplici ambiguitate oborientes homo nunquam totaliter superare valet, sed in eventuum fluxu ad optatam stabilitatem accedere potest, si ~~in~~ spe in Christo, mortis victore, confortatur, et libenter agnoscit perfectionem hominis non in externa rerum possessione aut copia inveniri, sed in interna mentis et cordis cultura coram Deo et universa societate.

### III : DE OFFICIIS ECCLESIAE ERGA MUNDUM

10

(A : De munere testificandi)

19. / De testimonio pro veritate et vita. / Licet Ecclesia sciat et dicat se nec officium nec media accepisse ad solvenda problemata profana, ordinis scientifici vel technici, circa quae ingenia et zelus hominum versantur, tamen, sollicitudine permota et officii sui conscia, declarat, praetermissis doctrina et gratia Christi, adaequatam solutionem sperari non posse in tot ac tantis quaestionibus, in quibus dignitas personae humanae, sors et opus eius inveniuntur inserta, sive de individuis agatur, sive de familia, sive de quocumque alio coetu. Omnibus vero affert ipsum Christum, qui via, veritas et vita est (Jo. 14,6) et, in miseriis humanis, indefectibilis spes finalis felicitatis.

E 2,  
6-17

20. / Doctrina de intimo rerum sensu. / Ecclesia, "plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens" (17), tum per praedicationem Hierarchiae, tum per testimonium et vitam populi christiani, omnium mentes illuminat de intimo sensu et ultimo fine mundi et hominis, nec non de naturali et voluntaria totius humani generis cohaesione. Cunctis proclamat fundamentum universi orbis non existere nisi in Deo creatore, in quo homines habent tum auctorem suae existentiae tum consummatorem suae beatitudinis. Atheismus igitur de se non solum infinitae maiestati et sanctitati Dei offendit, sed etiam ipsi naturae humanae penitus contradicit. Illud autem claritatis et adiutorii quod ecclesia homini affert, non est ei neque extraneam neque hostile, sed cognitionem ei praebet significationis, quae tam in totalitate rerum quam in humana existentia latet.



21. / Doctrina de hominis sublimi vocatione. / Homo seipsum sub lumine Dei intelligens, etiam altiorem significationem perspiciet totius realitatis creatae; immo velut sacerdos creationis, omnia cum gratiarum actione ad Deum summe dilectum refert, de cuius manu pretiosa quaeque accepit. Si e contra sibi sufficere praesumit, sine Deo vivens et moriens in hoc mundo, spe definitiva privatur (cf. Eph. 2, 12). Nunc autem animam habens indestructibilem, a Deo revelante audit se ad divinam ipsam immortalitatem participandam vocari et ad consortium divinae naturae invitari (cf. 2 Pt. 1, 4). Audit non esse acceptionem personarum apud Deum (cf. Rom. 2, 11/2), sed quaecumque sint apud homines differentiae sexus, aetatis, stirpis, officii in societate, gradus in cultura, omnes tamen ad eandem dignitatem, eandem veritatem, eandem felicitatem ab Eo destinari et elevari. Ita fundamentum tollitur omni theoriae, quae inter virum et virum, inter gentem et gentem discrimen quoad naturalem dignitatem et iura exinde dimanantia introducit.

22. / Doctrina de peccato et redemptione. / Discit insuper homo ab ore Christi et Ecclesiae quale et quantum sit peccatum, quo seductor diabolus potestatem usurpata[m] super mundum exercet. Gravissimum est pondus culpae (18), qua amicitia Dei laesa est, divina ordinatio in terris turbata, humanitas disgregata et totus mundus in maligno positus (cf. 1 Jo. 5, 19). Sed simul laetum nuntium accipimus, omnia restaurari in Christo qui, peccato destructo, novam vitam eamque indefectibilem nobis iam in arrha contulit, donec in futura glorificatione compleatur, in adoptione filiorum Dei et redemptione corporis nostri (cf. Rom. 8, 23). Tunc ipsa creatura a servitute corruptionis liberabitur (cf. ib. v. 21), et nos in visione Dei et societate perfecta cum Patre et Filio et Spiritu Sancto ad invicem etiam coniuncti, cum Christo in aeternum conregnabimus (cf. 2 Tim. 2, 12), sedummodo nunc cum Eo compatiamur (cf. Rom. 8, 17) et "dignitas conditionis humanae, per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniae studio reformetur" (19).

23. / Doctrina de ordine morum. / Ecclesia denique, proclamando caritatem christianam ut vinculum perfectionis (Col. 3, 14; cf. 1 Cor. 13), apud omnes gentes sensum moralitatis auget. In supernaturali enim vita et praxi christianorum involvuntur praecepta legis, quam Auctor naturae in corde omnium hominum inscripsit (cf. Rom. 2, 15) et Dominus Jesus



in Evangelio roboravit, perfecit et in sublime elevavit. Lex illa, nedum sit mutabile societatis inventum aut figmentum, quod personae humanae ab extrinseco et arbitrarie imponeretur, non exprimit nisi obligationes, paenititer validas, ad perfectionem illam assequendam, ad quam ipsa natura ex propriis ordinatur. Unde eius principia pretiosum constituunt generis humani patrimonium, quod decursu historiae, non sine praedicationis et caritatis evangelicae influxu, pluris aestimatur et penitius in variis suis implicationibus detegitur.

24. / De dictamine conscientiae. / Docet tamen Ecclesia, conformiter cum naturae mandato, quaecumque praecepta secundum conscientiae dictamen esse applicanda, dummodo homo conscientiam suam secundum ea quae de lege naturali et evangelica sincere perspicere valet, efformare non negligat et obcaecationem cordis aufugiat (cf. Rom. 1, 21 ss.). Omnia enim procedere debent "de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta" (1 Tim. 1, 5), et omne quod aliunde venit, peccatum est (cf. Rom. 14, 23). Personaliter ~~nam~~ unusquisque de omnibus factis et omissis suis supremo Judici rationem reddere debet. Ipsae autem circumstantiae seu rerum adiuncta in iudicium moralitatis ut elementa intrant. Ita in plurimis difficultatibus enodandis, spatium relinquitur prudenti aestimationi singulorum, ut sine anxietate neque temeritate concretam solutionem eligant, modo semper honestatem quaerant, et motionem Spiritus Sancti, in Ecclesia et in corde hominum loquentis, obsequi parati sint.

(B : De servitio caritatis et communionem)

25. / De unica caritate erga Deum et proximum. / Maximum et primum mandatum est diligere Deum ex toto corde, in tota anima et in tota mente nostra. At secundum mandatum simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum (Mt. 22, 37-40 et Par.). Fratres autem amamus ipsa caritate qua Deus diligit nos et quam per Spiritum suum in cordibus nostris diffundit (cf. Rom. 5, 5), ita ut S. Joannes scribere potuerit : "Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est" (1 Jo. 4, 20), dum e contra inimicos et persecutores diligimus, ut simis filii Patris nostri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos (cf. Mt. 5, 44 ss.) (20). Immo, exemplo Christi stimulat, et nos debemus pro fratribus animas ponere (cf. 1 Jo. 3, 16). Unde caritas est discipulorum Christi praeclarissimum signum (cf. Jo. 13, 35), et Ec-



clesia non immerito a sanctis Patribus velut nomine proprio Caritas nuncupatur (21).

26. / De caritate et iustitia. / Primum opus caritatis est iustitia, qua singulis sua tribuimus, quia illos in Deo amamus. Quod si inter homines iustitia angustiatur, hoc passim ex defectu provenit illius caritatis, quae non quaerit quae sua sunt, sed benigna est et non aemulatur (cf. 1 Cor. 13, 4-5), quae nihil agit per contentionem et inanem gloriam, sed in humilitate non cogitat nisi bonum aliorum (cf. Phil. 2, 2-3). Sine caritate iustitia est velut inanimata, at sine iustitia caritas ne exstare quidem potest. Sola iustitia, in caritate fundata, pacem et concordiam inter homines et nationes sperare possumus (22).

27. / De caritate in vita quotidiana. / Fides quae per caritatem operatur (Gal. 5, 6), ne inanis et vacua sit, in quotidianam vitam christianorum intrare et varia eorum officia ab intra in Spiritu vivificare debet. Ita fideliter vocationem suam explentes, Regnum, in tempore restitutionis omnium perficiendum (cf. Act. 3, 21), interim prosequuntur, melius se Deo conformando per ipsa terrestria opera. Sic enim non solum inimicitias, contentiones, ceteraque vitia vitabunt (cf. Gal. 5, 16 ss.), sed e contra uberrimos fructus Spiritus producent in bonitate et mansuetudine et omni genere virtutum (cf. ib. v. 22-23). Non ignaviam sub specie pietatis praedicat Ecclesia, sed actuosum et multiforme servitium, individuale et collectivum, familiare et sociale, culturale et educativum pro qualibet necessitate fratrum. Sic autem opera quae christianus ad sublevandum mundum suscipit, nedum sint pro eius vita Deo devota impedimentum, erunt testificatio veridicae religionis et probatio caritatis. Unde bonus odor Christi ubique diffunditur in vitam (cf. 2 Cor. 2, 15), et mundus exinde ditescit et alleviatur.

28. / De communionem cum omnibus. / Ecclesia servitium suum ad domesticos fidei non restringit, sed aperto corde ad omnes accedit, ut cunctis in communi opere humano adsistat indefesso socio labore. Quin unquam veritatem laedat aut abscondat, caritatem pro errantibus servat, de quorum errore dolet sed quorum libertatem non circumvenit. Omnes bonae voluntatis homines alloqui desiderans, eos audire non renuit, quorum cooperationem pro bono communitatis exoptat. Pro ea "omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu Sancto est" (23), propter lumen natura-



le ab Eo diffusum; quod libentius adhuc admittit de veritatibus fidei, propter lumen gratiae (24). Quaecumque apud alios bona inveniat, a spiritu evangelico aliena non censet; quaecumque vero promiscua aut contaminata, purificare et sanare satagit. Varios ordines, competentias, rerum et hominum conditiones diversissimas non disturbat neque permiscet, sed ad superiorem concordiam promovere gratissimum habet, ut apta communione conatum instituta, pacificae et proficuae relationes inter individuos et societates humanum genus condecorent et ad meliorem statum perducant. In virtute huius communicationis, vel ipsa vita christianorum est pro ceteris testimonium et servitium; quod etiam collective a variis coetibus fidelium praestatur, si mente non restricta, sed dilatato animo in nomine Christi congregantur, ut Ipse sit in medio eorum (cf. Mt. 18, 20).

29. / Conclusio. / Apprime novit Ecclesia pericula et mala quae ex spiritu mundi oboriuntur, sed magis adhuc beneficia quae cum mundo commutare potest. Sibi et omnibus filiis suis applicat monitum Domini: "Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?" (Mt. 16, 26), et fidelibus suis arma contra insidias maligni spiritus praebet (cf. Ep. 6, 11 ss.). Opibus huius terrae utitur, quin ab eis captivari se sinat, quia talibus bonis frui ei non licet, nisi quoque parata sit ab eis pro regno Dei abstinere (cf. 1 Cor. 7, 31). Christiani in terrestri sua peregrinatione continuo in diversas sollicitudines, pro Deo et pro hominibus, se distrahi experiuntur. Quam divisionem (cf. ib. v. 32-33) quidem plene evacuare non valent, sed virtute amoris ad servitium salutis reducere possunt, si a Deo missi et ab Eo principium sumentes, cordate et fiduciose ad nomines accedunt, utique diligendos ex Deo et salvandos. Sic regnum Christi, universorum Regis, dilatabitur, quamvis in praesenti vita non consummabitur, sed in regno coelesti, ubi Deus unus et trinus, finis desideriorum nostrorum, sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur (25), et totus mundus in gloria filiorum Dei adsumetur. Ita cum omnia subiecta fuerint Christo, Deus erit omnia in omnibus (cf. 1 Cor. 15, 28).

====



N O T A E (postea complendae)

1. Testimonia Patrum, v.g.S.Ambrosius, Cyrillus Hier., etc.
2. Cf.S.AUGUSTINUS, Serm.96,8; PL
3. Cf.oratio in Sabbato Sancto.
4. Cf.ib. .
5. S.AUGUSTINUS, Tr.in Jo.26,2; PL 35,1607. Citatur in Enc. PII XII, Mystici Corporis, AAS 1943 (35) 240
6. Cf.Gen.1,27; Eccle.17,1; 1 Cor.11. PIUS XI, Litt.Enc. Divini Redemptoris, AAS 1937 (29) 780.
7. Cf. Is.43,1; Apoc.2,17.
8. Cf.Documenta pontificia de influxu Ecclesiae super culturam, promotionem socialem, etc.
9. DENZINGER, 1799 (3019).
10. DENZINGER, 1794 (3013).
11. Ex Oratione Sabbati Sancti.
12. DENZINGER, 1795 et 1799 (3015 et 3019).
13. Cf.JOANNES XXIII, Litt.Enc. Pacem interris.
14. Cf.Encyclicae sociales.
15. Cf.plurimae orationes liturgicae.
16. LEO XIII, Litt.Enc. Libertas praestantissimum, 20 iunii 1888. ASS 1887-88 (20) 593.
17. S.CYPRIANUS, Epist. 66,8; Hartel 733.
18. Cf.testimonia Patrum, i.a.S.ANSELMUS.
19. Oratio feriae V post Passionem.
20. S.AUGUSTINUS, En.Ps.54,4; PL 36,630 s.
21. Cf.S.IGNATIUS M., Trall.13,1; Rom.9,3; Philad.11,2; Smyrn.12,1; cc.
22. Litt.Enc. Pacem in terris.
23. AMBROSIASTER, PL 17,245. Medio aevo frequenter citatur.
24. S.THOMAS, 1 2ae,q.109,a.1,ad 1. Cf.S.ALBERTUS M.
25. S.AUGUSTINUS, Civ.Dei,XXII,30,1; PL 41,802.